

presè per hæc verba: *Ceterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo confitetur, absolvi possit.* Sententiæ autem, supra quas immediatè cadit reservatio, sunt ipsæ censuræ; igitur à censuræ reservatio redundat in culpam, ac proinde culpa non censetur reservata, nisi cum excommunicatione conjuncta; cum igitur ratione ignorantia ex communi sententiâ non incurrat censura, non incurritur reservatio; quia tunc culpæ deficit fundamentum reservationis, videlicet censura, quæ tali peccato individuo non est conjuncta.

393. Hoc autem dictum est à præfatis Doctores de ignorantia censuræ, minimè de ignorantia reservationis, nam certum mihi est, quod qui commisit hæresim formalem externam, aut aliud delictum de Bulla Cœnæ, si sciat esse annexam excommunicationem Cœnæ Domini, ignoret tamen hæc esse reservatam, adhuc incidit in censuram reservatam, ita ut non possit à simplici Confessario absolvi, sed à Summo Pontifice, aut Inquisitoribus; quoniam ex communi sententiâ contra aliquos ignorantia reservationis non excusat, sed reservatio regulariter incurritur ab ignorante; quia regulariter loquendo, reservatio non est pœna, qualis est censura, sed medicina, est enim limitatio potestatis Confessariorum ad bonum regimen, & ob bonum publicum facta, ut fideles ab iis peccatis patrandis absterreantur, dum vident, non posse ab ordinariis Confessariis absolvi. Item reservatio est restrictio jurisdictionis in Confessario, & cum jurisdictione tota dependeat à voluntate Superioris, non oportet, ut eam sciat reus, sed sufficit, si eam sciat Confessarius.

394. Ex quo fit, quod licet ignorans, aut non advertens pœnam, non incurrat in pœnam, puta in excommunicationem, sciens tamen pœnam, & ignorans reservationem, incidit in reservationem; licet licet ignorans, aut non advertens culpam, non incidat in reservationem, sciens tamen culpam, & ignorans reservationem incidit in reservationem; quia licet in priori casu cadat fundamentum reservationis, nempe culpa, aut pœna voluntaria, atque indè cadat reservatio, stat verò in posterius.

His verò datis, & suppositis,

395. Resp. ad questionem affirmativè: quia in foro externo secundum externam proceditur, & suadetur à fortiori de blasphemia hæreticali, in quam prorumpens sine errore in intellectu est denunciandus ex *mun. 311.* à fortiori in casu hæresis. Qui igitur incidit in hæresim purè externam, aut in hæresim formalem externam, ignorans excommunicationem Bullæ Cœnæ, est Inquisitoribus denunciandus. *Vide mun. 288.*

396. Dixi: *his datis*, quia (ut ritè advertit Diana p. 5. *trakt. 13. ref. 18.*) ignorantia excommunicationis reservata in casu hæresis, non potest habere locum in nostris Regionibus Hispaniæ, & Italiæ, ubi viget S. Inquisitionis Tribunal, ex cujus præfer-

tim contra hæreticos pervigili cura, est moraliter impossibilis ignorantia legis Ecclesiasticæ excommunicantis hæreticos, & maximè post *Decr. Univ. Inquis. Rom. sub Alex. VII. de anno 1656.* quod iussu DD. Inquisitorum hujus Regni Siciliae sub datis 15. Febr. 1657. video, qualibet sexta feria post octavam Assumptionis Virginis in Communitatibus Regularium publicè legi, quoque Confessarii, & Religiosi edocentur, crimen hæresis non posse, etiam virtute Jubilæi absolvi, nihil aliud cunctis est notius, quam crimen hæresis, etiam occultum esse reservatum, imò si quis est, qui in aliquam hæresim cadat, eum experimur accuratorem ad se occultandum ob timorem, ne deferatur ad S. Tribunal: ac proinde in nostris Regionibus moraliter, & practicè loquendo non potest dari casus, quod quis in hæresim formalem externam cadat, & possit à simplici Confessario absolvi: non quidem ratione ignorantia: censuræ, quia hæc moraliter in nostris Regionibus non est possibilis, neque ratione metus, cadentis in virum constantem; quia metus licet possit timorem incutere ad prorumpendum in actum externum hæresis, non potest illum incutere ad habendum errorem in intellectu, ut discurranti patet.

## CAPUT VI.

## DE LIBRIS PROHIBITIS.

397. **L**ibros prohibere spectat ad Summum Pontificem, quod regulariter facit per Congr. Univ. S. Officii, cujus autoritas per totum Orbem extenditur.

398. Magistrum Sacri Palatii libros perniciosos prohibere posse, ait Bord. in *Man. Consult. sect. 48. mun. 5.* liquet ex quamplurimis prohibitionibus ab eo factis, & in Indice iussu Alex. VII. impresso registratis, subdit tamen: *Sed puto, hanc ejus potestatem non excedere Urbem, & ejus districtum; quia nunquam vidi ejus prohibitiones publicari extra per Inquisitores, nisi missas, vel à Papa, vel à S. Congregatione; signum evidens, quod ejus potestas terminatur locis Urbis, & suburbanis, ubi in hoc officio fungitur, ut Inquisitores in suis Dioecesibus.*

399. Libros prohibere possunt Episcopi, & Inquisitores, ex Reg. 10. Indicis: *Liberum sit Episcopis, aut Inquisitoribus Generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis Regnis, aut Provinciis, vel Dioecesibus expedire judicaverint.*

400. Quia autem Episcoporum, & Inquisitorum autoritas contentiosa est restricta loco, & personis, ac proinde non operatur extra proprium territorium, talis prohibitio, ut univèrsaliter operetur, fieri solet, vel per Sac. Cong. Univ. Inquisit. coram Sanctissimo per totum Orbem, vel per Inquisitores Supremæ Inquisitionis Hispaniarum pro cunctis Hispaniarum Regnis.

401. Generales libros suorum subditorum prohi-

berent possunt, si absque eorum licentia fuerint impressi, aut si sint in S. Tribunali, vel suæ Religionis perniciosi; si verò contineant hæresim, aut suspicionem, id spectat ad S. Tribunal, ex *mun. 248.*

## MATERIA,

402. **O**mnibus liber prohiberi solet, est quintuplex. 1. Quæ continet hæresim. 2. Quæ tractat de Religione, nempe de re sacra, puta de S. Scriptura; de fide, de rebus ad Dei cultum, & Sanctorum spectantibus, de Theologia Scholastica, & Morali, de Concionibus, de Jurisdictione, & Immunitate Ecclesiastica, de Privilegiis Clericorum: minimè si tractet de Philologia, de Historia, &c. imò ut dicatur de Religione tractare, requiritur, ut de ea tractet ex professo, minimè, si obiter. *Vide mun. 404. 3.* De rebus obsecris. 4. De Casibus conscientia, in quibus tamen habentur opiniones laxæ, & periculose conscientia, aut nullam probabilitatem habentes, vel habeat aliquis error in fide, aut hæresis. 5. Qui tractat contra proximum, puta de jurisdictione uni data, & ab altero ablata; aut continet calumnias, injurias, &c. contra Religiones, personas Religiosas, Principes, &c.

## FINIS

403. **P**rohibitionis r. est odium hæreticorum. 2. Est, de fides illa permaneat, ut fidelium scandalum, animarumque periculum vitetur, & ut pax, atque charitas in Republica Christiana servetur. *Vide mun. 462.*

## INDEX

404. **L**ibrorum prohibitorum tres constituit classes. In prima classi non tam continentur libri, quam eorum Authores, quatenus hi sunt hæretici, & horum sunt prohibiti libri, tam editi, quam edendi, qui tamen hæresim continent, aut de Religione tractant, etiam bene de ea tractent, & nullum errorem continent, quoniam indignum est visum Ecclesiæ ut fideles ab ejus hostibus erudiantur; & doctrinam de Religione desumant, hæreticum Regio Palæ inrepante in Palm. *Peccatori autem dixit Deus quare tu enarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum? Vide mun. 420.*

405. In secunda classi continentur, non Authores, sed libri, quatenus eorum Authores sunt Catholici, continent tamen doctrinam non sanam, & idèd prohibentur. Duplici autem modo doctrinam non sanam continere possunt. 1. Quia continent incidenter aliquam, seu aliquas hæreses, aut falsi dogmatis suspicionem. 2. Quia offensionem etiam in moribus tantum fidelibus afferre possunt, ut in *mun. 422.*

406. Ex Bord. in *Man. Consult. sect. 49. mun. 75.* *Nomine suspitionis falsi dogmatis venit error, qui creditur esse contra fidem, dogma enim pium est doctrina*

*na in fide, Glof. v. Senpovius, cap. Sats 7. dist. 95. Glof. in fin. in d. 3. per caput. Qui Episcopus 2. dist. 29. itaque falsum dogma est error contrarius doctrina de fide: doctrina autem fidei spectatur dupliciter, 1. ut talis est de fide definita, ut sunt articuli, & propositiones de fide definita, ut patet in Canonibus Conc. Tridentini. 2. In doctrina fidei aliqua sunt propositiones, quæ ab aliquibus putantur de fide, ab aliis negantur esse de fide: pono exemplum in hac propositione: Papa in Canonizatione Sanctorum non potest errare: aliqui dicunt esse de fide; quod ego teneo, alii negant, ut dixi sect. 45. num. 162. hæresis ergo dicitur, & ex diametro opponitur fidei, falsum verò dogma, de quo est suspitio, opponitur fidei non ex diametro, sed secundum suspicionem, & opinative tantum, non definitive, ut hæresis. Vide num. 441.*

407. Aptius exemplum est in hac propositione: *Papa in Beatificatione errare non potest*: nam plures Doctores, inter quos Diana p. 11. *trakt. 2. ref. 18. & 19.* qui ritè fatentur esse de fide, quod Pontifex non possit errare in Canonizatione Sanctorum, id negant de Beatificatione: unde concludunt, quod qui negaret, Beatum aliquem esse in gloria, non esset hæreticus formalis, sed ejus propositio esset temeraria; quia contra communem Doctorem, & fidei delictum sensum scandalosa; quia fideles à Beatorum cultu, & veneratione retraheret. Impia: quia contra cultum viris Beatis debitum. Suspecta falsi dogmatis, quatenus est contra dogma pium, seu doctrinam opinativè de fide, in quantum quamplures Doctores docent, etiam de fide esse, Romanum Pontificem in Beatificatione errare non posse: & denum suspecta de hæresi; quia sic dicens videtur negare in Papa potestatem ad beatificandum.

408. Doctores autem, qui concedunt de fide esse, Papam errare non posse in Canonizatione, & id negant de Beatificatione, pro præcipua disparitate assignant, quia Canonizatio est ultimum iudicium Ecclesiæ, quo definitur, virum Dei esse in gloria, post quod nihil amplius discutitur. Beatificatio non est ultimum iudicium, quoniam post illud, antequam ad Canonizationem deveniant, fit novum examen, testes, & miracula recipiendo; quod non ferret, si de fide esset, Pontificem non posse in Beatificatione errare, nam, quod est de fide certum, ulterius certitudine minimè eget, cum sit infallibilis veritatis.

409. In hac autem re, quæ obiter hic mihi tractanda suppetit. Dico, de fide esse Romanum Pontificem, tam in Canonizatione, quam in Beatificatione errare non posse, ita ut dicens, eum posse errare, seu Sanctum, aut Beatum non esse in gloria, sit hæreticus formalis. Bord. *ref. 113. mun. 15. Vericelli trakt. 8. q. 24. & 25.*

410. Ratio est, quia hæc propositio: *Romanus Pontifex in Canonizatione, & Beatificatione errare non potest*, sequitur ex duplici præmissa de fide, videlicet: *Romanus Pontifex docens Ecclesiam in his, quæ spectant*

ad materiam fidei, & doctrinam morum, errare non potest; sed Canonizatio, & Beatificatio spectant ad materiam fidei; igitur, &c. Minor liquet, quia Canonizatio, & Beatificatio est actus externæ Confessionis fidei contentæ in articulo de Communione Sanctorum; major constat ex Evang. Joannis, cap. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, & cap. 16. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ex Matth. cap. 18. ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum: hinc Apolt. 2. ad Tim. 3. inquit: Ecclesia Dei vivi Columna, & firmamentum veritatis: firmitas autem Ecclesie, & securitas eam non errandi est fundata in firmitate capitis, & securitate non errandi Magistrum, ex Evang. Matth. cap. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.

411. Et licet Romanus Pontifex, antequam ad Beatificationem, & Canonizationem veniat, utatur testimoniis hominum in se fallacium, illis tamen solum dispositivè utitur; ad actum autem Beatificationis, & Canonizationis non devenit, nisi per interiore Spiritus Sancti motionem, & assistentiam, ad quem quidem minime devenit, si testimonia hominum mendacia forent; quia Spiritus, ubi vult, spirat, & inspiratum ducit, quod non vellet.

412. Ad disparitatem inter Beatificationem, & Canonizationem in oppositum assignatam, respondeo cum Verricelli *trad.* 8. q. 25. novum examen pro Canonizatione non fieri de virtutibus viri Dei, neque de miraculis in vita, aut ante Beatificationem patris, sed de perseverantia cultus, & miraculorum: unde per Beatificationem fit absolutum, & completum iudicium; quod vir Dei fit in gloria; imò ut talis toti Ecclesie proponitur, hinc ubique à fidelibus Beatus certò absque formidine in gloria creditur, & ad gratias impetrandas invocatur, cum hac sola limitatione, quod uni soli Provincia, aut Religioni cultu Officii, & Missæ coendus proponatur; in quantum, licet de fide sit, Beatum esse in gloria, non est tamen conveniens, ut quilibet existens in gloria publico cultu Officii, & Missæ in tota Ecclesia colendus decernatur, sed ille, qui ob heroicis virtutibus, & insignem sanctitatem, ex multitudine, & qualitate miraculorum significatas, Deo acceptissimus, & apud fideles eximia devotione habitus dignoscitur: hinc novum examen fit de perseverantia cultus, & miraculorum, ut insigni Beati sanctitate & magna fidelium devotione comperta, solemniter ad iudicium de eisdem gloria deveniat; & in tota Ecclesia honor Officii, & Missæ concedatur.

413. Non obstat dictum, quod vulgò Augustino impunitur; multi Sancti venerant in terris, quorum corpora cruciantur in inferno: quia nec est Augustini, nec veritatem habet de Sanctis à Romano

Pontifice Ecclesie propositis, sed de hypocritis, ab hominibus, qui abscondita cordis penetrare minime valent, Sanctis putatis, quatenus in vestimentis ovium, suasque facies exterminantes. Sancti appaerent, sed reverà lupi rapaces, & diaboli martyres decesserunt: de verè autem iustis, & Sanctis canit Regius Psaltes: Exultabunt iusti in gloria, letabuntur in cubilibus suis: gaudent in caelis anime Sanctorum.

414. In tertia classe continentur libri, qui prodierunt sine nomine Authoris. Verùm non omnes hi sunt damnati, nam sæpè viri docti, & sancti ad inane vitandam gloriam, libros peritiles, & sanam continentem doctrinam sine nomine condiderunt, sed illi, qui continent doctrinam pravam fidei, aut moribus adversam. Lupus p. 4. lib. 25. dist. 1. art. 1. pag. 459. unde libri hujus tertie classis ad primam, aut secundam possunt reduci: id innuit Alex. VII. in Bulla, num. 432. relata his verbis: Contingit, ut plerique libri ignoti scriptoris, qui tertia classis assignantur, peiores multò sint: quam in prima, & secunda recensui.

#### DISCRIMEN

415. Inter primam, & secundam classem est duplex:

416. Primum est quia librorum 1. classis prohibitio fit principaliter non tam propter materiam, si sit prava, quam propter ipsos Autores hæreticos; & idè omnes eorum libri, tam editi, quam edendi de Religione tractantes, damnati censentur, etiam si sanam doctrinam contineant, ob rationem, num. 404. relata: librorum autem 2. classis prohibitio fit ob materiam pravam; quam continent si ve contra fidem, si ve contra bonos mores, &c. quamvis ab Authoribus Catholicis prodierint, ad eoque hi libri, non prius censentur prohibiti, quam specialiter fuerint in Indice librorum prohibitorum relati, ad differentiam librorum 1. classis, qui cò ipso, quod sunt Authoris hæretici, sunt damnati, etiam si in Indice non reperiantur. Lupus cit. pag. 459. Hinc damnato opere hæretico, non censetur damnatum nomen Authoris, nisi sit convictus, vel confessus de hæresi; aut nisi sit de natis ex secta hæretica; quia licet aliqua hæresis in opere protulerit, presumitur, quòd ex inadvertentia, aut ignorantia protulerit, sine pertinacia: damnato autem Authore, omnia eius opera, etiam edenda, qua de Religione tractant, damnata censentur; quia hæc, ut accessorium, sequuntur naturam sui principalis. Bord. cit. *Man. Consult. sect.* 48. num. 28. Author ergo per prohibitionem librorum 1. classis damnatur; quia est pertinax, & dignus pœna; per prohibitionem verò librorum 2. classis mortificatur; quia debebat advertere, & si erat imperitius, non scribere.

417. Ob eandem rationem, nec hæretici, nec eorum libri possunt à Catholicis in suis operibus citari ad honorem, quamvis loquantur ad Religionis favorem, bene verò ad confusionem, eorum im-

pugnando errores, nam in Ecclesiastici cap. 15. scriptum est: Non est speciosa laus in ore peccatoris; quoniam à Deo profecta est sapientia; sapientia enim Dei adhibet laus, & in ore fidelis abundabit, & Catholici autem, & eorum libri prohibiti citari possunt etiam ad honorem, quoad bonam doctrinam.

418. Secundum discrimen est; quia libri 1. classis sunt prohibiti duplici excommunicatione, prima est excommunicatio Bullæ Cœnæ reservata Summo Pontifici, quæ incipit ante Trid. à Nicolao III. anno 1280. & novissimè habetur exemplum ex Urban. VIII. anno 1627. in 1. s. his verbis:

419. Excommunicamus, &c. quoscumque Hæreticos, Wildephistas, Lutheranos, & à Christiana Fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios hæreticos, quoscumque nomine censentur, & quoscumque secta existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, & fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ stiverint legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomolibet descendentes, ex quavis causa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore: necnon schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

420. Sub prohibitionem igitur, & excommunicationem Bullæ Cœnæ, non continentur libri hæreticorum tractantes de Philosophia, Medicina, Historiis, &c. qui nullam hæresim continent, nec libri, num. 455. referendi, sed soli libri hæreticorum, qui hæresim continent, aut de Religione tractant.

421. Secunda est excommunicatio Indicis, & Pii IV. de qua modò, quæ non est reservata.

422. Libri verò 2. classis, qui tamen continent hæresim, aut falsi dogmatis suspitionem, sunt prohibiti sola præfata excommunicatione Judicis, ceteri, autem, qui sunt prohibiti, non quia continent hæresim, aut falsi dogmatis suspitionem, sed ob alias causas, contra bonos mores, puta, quia tractant de rebus obscenis, de jurisdictione cum præiudicio pacis, quia infamatoris, injuriosi, quia continent propositiones laxas, &c. non subiacent excommunicationi Indicis, & Pii IV. sed peccato mortali, & punitioni arbitrariae Episcoporum, aut Inquisitorum. Vide num. 431.

423. Pro qua re sciendum est, Indicem librorum prohibitorum à Deputatione Concilii Trident. consecutum plures librorum species prohibere, aut nec omnes prohibere sub excommunicatione.

424. Quantum ergò ad prohibitionem.

Primò in 2. Regula dicti Indicis prohibentur omnes prorsus Hæresarcharum libri, etiam de Philosophia, Medicina, &c. qui nullam hæresim continent, nec de Religione tractant, his verbis:

Hæresarcharum libri, &c. quoscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Quòd sit in maximum eorum odium, & ut om-

nino eorum memoria pereat.

425. Secundo in eadem Regula quoad aliorum hæreticorum libros sequitur:

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de Religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. Qui verò de Religione non tractant, à Theologis Catholicis jussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati permittuntur.

Hinc libri hæreticorum de Philosophia, Medicina, Historiis, & similibus, qui nullam hæresim continent, examinati, & approbati ut tales, non prohibentur, sed permittuntur; sunt tamen prohibiti, antequam examinentur. Vide num. 434.

426. Par est regula 5. Libri illi, qui hæreticorum Authorum opera interdum produnt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt lexica, concordantia, apophthegmata, similitudines, Indices, & hujusmodi, si que habeant admixta, qua expurgatione indigent, illis Episcopis, & Inquisitoribus una cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis, permittuntur.

427. Tertio in 4. & 6. Regula prohibentur Biblia vulgaris, & libri controversias inter Catholicos, & hæreticos differentes, pariter vulgari idiomate conscripti, ita ut, qui eos præsumpserint legere, aut retinere, peccent mortaliter, & absolvi non possint, nisi prius Bibliam, aut libros præfatos Ordinario, aut Inquisitori tradiderint.

428. Quarto in Regula 7. Libri, qui res lascivas, seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, &c. omnino prohibentur, & qui eos habuerint ferverè ab Episcopis puniantur. Antiqui verò ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam, & proprietatem permittuntur, nulla tamen ratione perlegendi erunt.

429. Quintò in Regula 9. Libri omnes, & scripta Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, Pyromantia, Onomantia, Chiromantia, Necromantia, si ve in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes, artes magice, prorsus rejiciuntur: Episcopi verò diligenter provideant, ne Astrologia judiciaria libri, tractant, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitivis casibus, aut iis actionibus, que ab humana voluntate pendunt, certò aliquid eventurum affirmare audeant: permittuntur autem judicia, & naturalis observationes, qua navigationis, agriculturæ, si ve medicæ artis juvanda gratia conscripta sunt.

Item in observatione circa dictam nonam Regulam, exercentes præfatas artes, & legentes, aut retinentes recensitos libros, dantur puniendi nedum per Ordinarios, verùm etiam per Inquisitores locorum ex Const. Sixti V. de anno 1585. unde præfati sunt denunciandi. Lupus pag. 459.

430. Sextò denique in observatione circa præfatum Indicem omnino damnantur, & prohibentur libri Thalmud Hæbreorum, & alii Cabalistici, & nefarii Hæbreorum libri. Item liber Magazor, qui

qui continet officia, & caeremonias Hebraeorum, & Synagoga, solum permittitur in Hebraea lingua, & prohibetur in omni alia lingua.

431. Quantum autem ad excommunicationem, postquam dictus Index recensitas librorum species prohibuit, denique in Regula 10. in fine concludit:

*Ad extirpandum vero omnibus fidelibus praecipitur, ne quis audeat contra harum regularum praescriptum, aut huiusmodi prohibitionem libros aliquos legere, aut habere.*

Quod si quis libros haereticorum, vel cuiusvis Authoris scripta ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat; qui vero libros alio nomine interdicitos legerit, aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum severe puniatur.

Hec est Indicis Tridentini dispositio.

432. Quia tamen variis temporibus Summi Pontifices quosdam libros prohibitos varia sanxere, nominatim Alex. VII. volens confusionem vitare, & hanc materiam librorum prohibitorum una lege regulare, die 4. Martii 1664. edidit Bullam, quae incipit. *Speculatores domus Israel*, quam refertur Lautulca in Bullario, tom. 6. col. 147. pag. 220. & Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 5. per quam Alex. VII. omnes penas, & censuras contra legentes, & retinentes, &c. libros prohibitos haecenus latas reduxit ad penas contentas in Const. Pii IV. quae incipit: *Dominus gregis*, super dicti Indicis Trident. confirmatione edita; verba Bullae Alex. VII. sunt tenoris sequentis:

Indicem (supple tu) librorum prohibitorum observari mandamus, & praecipimus sub penis in const. fel. memor. Pii IV. etiam praedecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis, ad quas varietatis veterum decretorum in proponendis transgredientium penis tollende gratia, omnes, & singulas penas, per Constitutiones Apostolicas, & decreta anteriora huiusmodi quomodolibet inflictas harum serie reducimus: firmis tamen manentibus his, quae de Authoribus, & libris damnatis in Litteris Apostolicis de Cane Domini publicari solitis facta sunt, circa quos nihil omnino mutare, ac ne contingere quidem intendimus.

433. Penae autem, & censurae in recensita Const. Pii IV. contentae sunt, ut sequitur:

Si quis autem adversus eas Regulas, prohibitionemque fecerit, his quidem, qui haereticorum libros, vel cuiusvis Authoris scripta propter haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habuerit, ipso iure in excommunicationis penam incidat, eamque ob causam in eum, uti de haeresi suspectum inquiri, & procedi liceat: praeter alias penas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque Canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habuerit, praeter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum, &c. Dat. Romae die 24. Martii 1564.

434. Hinc Bulla Pii IV. excommunicatione lata sententiae non reservata afficit tantum libros quoscumque haereticorum, & libros, aut scripta propter haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibita, sive sint haereticorum, sive Catholicorum: minime vero libros Catholicorum ob aliam causam prohibitos, tamen quia contra bonos mores, &c. ac proinde hi nulli subjacent excommunicationi. Vide num. 423. 425. 456.

435. Et licet isti, qui legerint, aut habuerint libros alia de causa prohibitos tradantur puniendi Episcopis, possunt tamen puniri ab Inquisitoribus quia hi sunt eorum Iudices, ut constat ex Litteris Inquisitori Cremonae conscriptis per Card. Millium 6. Febr. 1627. his verbis:

*Essendo solito, che negli Editti del S. Officio s' impon-gano pene à chi tiene libri, non solo heretici, & sospetti, ma anco di cose lesive, è contra bonos mores, possono, è devono gl' Inquisitori procedere all' esecuzione delle pene comminate contro gli trasgressori.* Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 83. Vide num. 446.

#### QUAERES I:

436. An retinentes libros, aut scripta Astrologiae iudicariae, Geomantiae, divinationis, artis magicae, &c. relata in num. 429. aliquam excommunicationem incurrant, & suspicionem haeresis?

Videtur absolute affirmandum. 1. ex Bulla Sixti VI. de anno 1585. pag. 47. num. 345. ubi postquam dispositum contra exercentes, ad libros deveniens sequitur:

Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudicariae Astrologiae, & Geomantiae, Hydromantiae, Pyromantiae, artis magicae, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, & superstitiones continentur, ac ut supra, in memorato Indice interdicitos sub censuris, & penis in eo contentis à quibuscumque Christi Fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus praedictis presentari, & consignari debere, & nihilominus eadem autoritate statui-mus, & mandamus, ut contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter idem Inquisitores libere, & licite procedant, ac procedere, & penis condignis punire, & coercere possint.

437. Ubi licet Sixtus nullam novam contra huiusmodi libros legentes, aut retinentes excommunicationem imponat, eos tamen excommunicationi Indicis subijci satis innuit illis verbis: In memorato Indice interdicitos sub censuris, & penis in eo contentis.

438. Secundò ex Bulla Urb. VIII. relata, pag. 47. num. 345. ubi infligitur excommunicatio latae sententiae, licet nulli reservata.

439. Respondeo, legentes, aut retinentes libros recensitos, aut scripta, esse suspectos de haeresi, & incurere excommunicationem Indicis, si libri,

aut scripta contineant suspicionem haeresis, aut falsi dogmatis, minime vero, si suspicionem haeresis, aut falsi dogmatis non contineant. Bord. in Man. Consult. sect. 38. n. 70. & sect. 49. n. 59. favent Diana p. 4. trad. 7. res. 6. in fine, res. 10. & res. 17. ubi distinguit de recensitis libris sapientibus, vel non sapientibus haeresim, & Bonac. tom. 1. disp. 2. de Ex-pientibus haeresim, & Bonac. tom. 1. disp. 2. de Ex-sura (supple tu Indicis) affici legentes libros, & scripta continentia divinationes, & sortilegia, ut sunt libri, & scripta Geomantiae, &c. quibus affertur modus recedendi à Catholica fide, adorandi daemones, & similia vera fidei contraria.

Idem replicat in tom. 3. disp. 1. quest. 2. punct. 4. num. 4. imò in tom. 5. disp. 2. quest. 2. punct. 38. n. 1. & 2. loquendo de excommunicationibus doct. divinatores, incantatores, maleficos, & similes non affici excommunicatione, modo non sentiant aliquid contra fidem, tum enim perspicuum est, ipsos esse haereticos, & excommunicationem contra haereticos latam incurere, quos errorum aliquo signo externo sufficienter manifestant.

Cujus ratio est, quia nulla est excommunicatio in iure contra eos, & si aliqua est, non est usu recepta. Vide in num. 474. idem tenet Fenech de Censuris, num. 13. & Diana p. 4. trad. 7. res. 17. adducit exempla, quibus Divinatores, & alii rei huius Bullae Sixti V. puniti sunt penis arbitrariis, exilio, carcere, tiremiis, privatione officiorum, &c.

440. Declaratur liber Astrologiae iudicariae haeresim, aut ejus suspicionem contineret, si v. gr. assereret, alia, nedum nostras voluntates inclinare, sed cogere: regulas illas infallibile iudicium inferre, &c. Idem libri divinationum, &c. haeresim, seu ejus suspicionem contineret, si praecipere demonis adorationem, abusum Sacramentorum, aut Sacramentalium: si assereret, verba aut signa ulla adhibita habere ex opere operato virtutem ad effectum, &c. Idem illi esse infallibiliter expectandum effectum, aut ex illis esse infallibiliter expectandum effectum, & similia. Ita Diana num. 439. cit. pro quo multum juvat recollere dicta superiorum de superstitione, à num. 340.

441. Ratio 1. partis est, quia Index, & Bulla Pii IV. expressè excommunicationem infligit contra legentes, aut retinentes libros, vel scripta ob haeresim, aut falsi dogmatis suspicionem prohibita, ut in n. 431. & 433. adeoque praefati libri, vel scripta, si contineant suspicionem haeresis, subijciuntur excommunicationi Indicis, & Pii IV.

Nomine enim suspicionis falsi dogmatis venit etiam suspicio haeresis, nedum per locum à majori ad minus, verumetiam ex ipsa proprietate verborum, quoniam etiam haeresis est falsum dogma; falsum namque dogma se habet, ut magis late patens in ordine ad haeresim; quia ex dictis n. 405. dogma fidei est doctrina in fide; & quia tam doctrina, quae est de fide definitivè, quam quae est de fide opinativè est doctrina in fide, ideò utraque est dog-

ma fidei, & solum doctrina definitivè de fide addit dogmati fidei pro ratione quasi specificà, quod sit articulus fidei, cuiusmodi non est doctrina opinativè de fide, quae proinde dicitur praecise dogma fidei, adeoque valet, *suspicio haeresis est suspicio dogmatis fidei*, licet non è converso, ut potè ab inferiori ad superius, & consequenter, cum suspicio falsi dogmatis cadat sub excommunicatione Indicis, & Pii IV. certum esse debet, quòd sub eadem cadat suspicio haeresis: juxta illud: *quidquid dicitur de superiori, dicitur etiam de inferiori.*

442. Ratio 2. partis est, quia excommunicatio non incurrit nisi sit expressa in iure; in Indice autem, & Bulla Pii IV. jam recensitis, nulla alia excommunicatio exprimitur praeter relatas contra legentes, aut retinentes libros, vel scripta ob haeresim, aut falsi dogmatis suspicionem prohibita; eo maxime, quia Alex. VII. ut in num. 432. decrevit, quoad hanc materiam standum esse penis in Bulla Pii IV. contentis.

443. Ad adducta in oppositum. Bulla Sixti favet resolutioni; quia per ea verba se refert, ad censuras memorati Indicis; unde quia in memorato Indice nulla est censura contra legentes, aut retinentes recensitos libros absolutè consideratos, ut patet ex regula 9. hic num. 426. sed solum contra libros ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibitos, ut in Reg. 10. hic num. 431. sequitur ex Bulla Sixti, quod legentes, aut retinentes libros, vel scripta Astrologiae, Geomantiae, Divinationis, &c. incurant excommunicationem Indicis, si hi libri haeresim, vel haeresis, aut falsi dogmatis suspicionem contineant.

444. Denum excommunicatio Bullae Urban. VIII. *Inscrutabilis iudiciorum*, non est contra legentes, aut retinentes dictos libros, sed contra Astrologos, & Divinatores facientes iudicia, aut praedictiones de statu Reipublicae Christianae, vel Sedis Apostolicae, sive de vita, aut morte Romani Pontificis, ejusque ad tertium gradum inclusivè consanguineorum: & contra eos, qui dictos Astrologos, aut vaticinatores consuluerint, sive eorum iudicia, & praedictiones super praemissis receperint, ut videre est in num. 346.

#### QUAERES II:

445. Legentes, aut retinentes libros prohibitos, quando sunt suspecti de haeresi, & denunciandi?

R. Resp. legentes, aut retinentes libros, aut scripta haereticorum haeresim continentia, aut de Religione tractantia; item libros, aut scripta Catholicorum propter haeresim, aut falsi dogmatis suspicionem prohibita, esse suspectos de haeresi, & denunciandos Inquisitoribus, aut Episcopis, juxta dicta in num. 708. & 714. infra sex, duodecim, aut triginta dies à die scientiae juxta formam Edictorum: in nostro Regno Siciliae terminus esse solet sex dierum. Vide num. 720. & 731. constat ex verbis Bullae Pii IV. & Indicis relatis num. 432. & 433.

## DIFFICULTAS

446. **P**rocedit de libris prohibitis secundæ classis, qui continent doctrinam non sanam, secundo modo explicato sub num. 405. & 423. qui scilicet sunt prohibiti, non quia contineant hæresim, aut falsi dogmatis suspitionem, sed quia sunt contra bonos mores, pacem, aut charitatem, &c.

447. Negant esse denunciandos Lupus p. 4. lib. 25. disp. 2. art. 3. diff. unica, pag. 464. pro quo Diana p. 11. tract. 8. ref. 62. citat Carenam p. 2. tr. 10. §. 10. num. 66. Bord. in Trib. Fidei, cap. 14. q. 38. num. 78. Ratio est, quia isti, ut constat ex Pio IV. & Indice adducto, num. 431. nulla afficiuntur excommunicatione, nec sunt suspecti de hæresi, sed solum peccant mortaliter, & dantur puniendi pœna arbitraria ab Episcopis, & licet ex litteris relatis, num. 436. tradantur etiam puniendi ab Inquisitoribus, non sequitur, quod sint denunciandi, quia non sunt suspecti.

448. Resp. tamen esse denunciandos, quia cit. & Bord. ipse in Man. Consult. sect. 48. num. 56. & sect. 46. num. 83. Probatur ex Bulla Greg. XV. & Urb. VIII. tenoris sequentis:

*Apostolatus officium, &c. Cùm librorum lectio magno sincera fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut accepimus, nimis excessiva sit hujusmodi libros legendi licentiarum copia: Nos, &c. omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscunque, ob hæresim, vel falsi dogmatis suspitionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam Astrologia judiciaria, vel alios quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis laicis, & Ecclesiasticis, tam secularibus, quam Regularibus cujuscunque Ordinis, Societatis, & Institutii existentibus, ac quacunque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, &c. etiam speciali nota, & mentione dignis, &c. ex quacunque causa, &c. concessas, &c. revocamus, cassamus, & annullamus, &c. quinimo libros per licentias hujusmodi permisso legentes, aut habentes, penas in Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurere volumus, & declaramus.*

449. Decernentes ut præsentis litteræ, postquam in valvis, &c. affixe fuerint infra duos citra montes, ultra verò montes infra quatuor menses, ex tunc proximis, omnes, & singulos ad quos spectant, ardeant, & afficiant, perinde, ac si uniceque personaliter intimata fuissent, quodque dictis duobus, & respectivè quatuor mensibus durantiibus, ii, qui libros prohibitos habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantocius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denunciare teneantur, neque de caterò similes licentias, nisi à Congregatione S. Officii dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis, concedantur, &c. Dat. die 2. Apr. 1631.

Ubi hæc ultima verba: aliquos similes libros prohibitos referuntur ad priora: libros quoscunque ob hæ-

resim, vel falsi dogmatis suspitionem, vel alios quomodolibet prohibitos, ac proinde præfati Pontifices præcipiunt, denunciandos esse à scientibus detinentes libros quomodolibet prohibitos, etiam ob aliam causam, quæ non sit hæresis, aut falsi dogmatis suspicio.

Tum quia ex litteris recensitis sub num. 436. dantur puniendi ab Inquisitoribus tanquam eorum Judicibus, & consequenter dantur illis denunciandi.

Verum tamen est, eos non esse excommunicatos, nec suspectos de hæresi, ut probat Lupus cit. & concedit Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 81. & apud ipsum Carena, Saelles, & Bufartus, quia nec legunt, nec retinent librum contra fidem, unde isti puniendi sunt ab Inquisitoribus simplici punitione arbitraria sine abjuratone; quia non peccant contra fidem. Bord. cit. num. 83. Bonac. tom. 1. disp. 2. de Exom. punct. 4. num. 5.

450. Certum est autem 1. quod, qui assererent libros ex præscripto S. Inquisitionis prohibitos, posse in conscientia retineri, si non contineant doctrinam contrariam fidei, aut sacræ doctrinæ, esset denunciandos uti asserunt propositionis temerariæ, & scandalosæ. Ita Diana p. 11. tract. 8. ref. 63.

451. Certum est 2. quod libri, qui non prohibentur perpetuò, fed suspenduntur ad tempus, donec expurgentur, eo quia unam, aut alteram hæresim casu contineant, vel ob alium errorem, non possunt legi, aut retineri intra tempus prohibitionis, & correctionis, ex Decr. Alex. VII. in prop. damnata 45. unde retinentes sunt denunciandi, facta autem correctione per eos, ad quos spectat, haud amplius sunt prohibiti.

452. Certum est etiam, non esse onus denunciandi, nec respectivè excommunicationem in casibus, in quibus quis à peccato mortali excusatur, juxta dicta, num. 288. pro qua re facit sequens Caput.

## CAPUT VII.

DE EXCOMMUNICATIONE BULLÆ COENÆ  
contra legentes, retinentes, &c. libros hæreticorum.

## QUÆRES:

453. Quid requiratur ad incurrendam recensitam Bullæ Coenæ excommunicationem?

**R**esp. requiri quinque simul condiciones, itaut una deficiente, censura non incurrat.

## 1. CONDITIO

454. **E**ST, ut Author libri sit hæreticus.

Nomine hæretici venit 1. ille, qui est damnatus, sive personaliter, & nominatim, sive generaliter in sua secta, de qua est natus. 2. Ille qui est natus inter Catholicos, & putatur Catholicus, liber tamen ab eo compositus ex professo tractat de hæresibus, &

& apertè Catholicas veritates impugnât, hæreses defendendo. Alberg. cap. 32. num. 21. & Bord. in Man. Consult. sect. 49. num. 68. hic namque licet non sit personaliter damnatus, nec natus ex hæreticorum secta, est perniciosior fidei hostis, quia est lupus inter agnos. Nec eum juvat protestatio, qua se, & sua opera Ecclesiae correctioni subijciat, quoniam hæc est astuta collusionis, & factum satis ostendit mentem, dum contrariatur dicto. Et hic comprehenditur in verbis Bullæ Coenæ relatis, n. 419. ac omnes, & singulos alios hæreticos quocunque nomine censentur. Non sic de Authore Catholico, qui in suo opere unam, aut alteram hæresim per transitum, seu incidenter protulerit. Vide num. 360. 3. Veniunt schismatici; quia communiter sunt hæretici, unde liber Græcorum, & Armeniorum Schismaticorum de eorum ritibus tractans comprehenditur sub censura Coenæ quia de Religione tractat. Tamb. lib. 2. Decal. l. 1. §. 7. num. 8. contra Leandrum de Conf. tract. 3. disp. 1. q. 49. qui dicit, eorum ritus non esse ab Ecclesia habitos tanquam hæreticos.

455. Hinc ab excommunicatione Bullæ Coenæ excluduntur. 1. Libri Gentilium, Infidelium, Judæorum, & Cathecumenorum, quamvis contra Religionem, ut liber Thalmud, &c. quia non sunt libri hæreticorum. Vide num. 420. 2. Libri Origenis, & Tertuliani: quia licet habuerint errores contra fidem, ob specialem tamen utilitatem ab Ecclesia permittuntur, & jam sunt expurgati.

Tertiò excluduntur legentes, aut retinentes libros Catholicorum, in quibus referuntur errores hæreticorum, vel in quibus sunt scholia, aut annotationes hæreticorum (nisi scholia essent tam copiosa, ut ex illis potius, quam ex textu liber constare videretur) etiam si animo hæresim addiscendi legantur quia non sunt libri hæreticorum: supposito tamen, quod sint prohibiti, incurrit excommunicationem Indicis non reservatam; quia legunt, aut retinent libros, aut scripta ob hæresim, vel suspitionem falsi dogmatis damnata. Alberg. cap. 32. num. 4. Bord. in Trib. Fidei, cap. 14. à num. 66. Bulemb. lib. 7. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 1. Bonac. tom. 1. disp. 2. de Excom. punct. 4. num. 6. Imò Diana part. 1. tract. 11. ref. 32. & Leander de Conf. tract. 13. disp. 1. q. 46. idem tenent, etiam si scholia sint tam copiosa, ut ex illis potius liber constare videretur; quia adhuc diceretur liber Authoris Catholici, non hæretici.

## 2. CONDITIO

456. **U**T liber expressè contineat hæresim, vel de Religione tractet.

Unde ad incurrendam excommunicationem Coenæ non sufficit, quod liber sit hæretici, sed requiritur, quod contineat hæresim, vel de Religione tractet; ac proinde si ut liber medicinae, historiarum, &c. nullam continens hæresim, non cadit sub excommunicatione Coenæ, sed solum sub excommunicatione Indicis non reservata, quæ compre-

hendit omnes legentes, aut retinentes libros hæreticorum, licet hæresim non contineant, nec de Religione tractent. Leander de Conf. tract. 13. disp. 1. q. 37. Vide num. 425.

## Contineat hæresim.

Fillic, Soufa, Carena, Grassius, & Sayrus, apud Bord. in Trib. Fidei, cap. 24. num. 70. quibus probabiliter adheret Diana part. 1. tract. 11. ref. 31. volunt, non comprehendi sub excommunicatione Bullæ Coenæ, sed solum sub excommunicatione Indicis legentes, aut retinentes librum hæretici, licet aliquas contineat hæreses, si non tractet ex professo de hæresi, aut de fide, puta, si esset liber Philosophiæ, Medicinæ, &c. fed requirit, ut ex professo, tractet de hæresi, seu de fide, aut Religione, quia particula hæresim, licet sit expressa in singulari, accipitur in plurali, ex ultimatiori Authorum acceptione, qui librum tractantem ex professo de hæresi vocant in singulari de hæresi, sicut librum tractantem ex professo de fide vocant in singulari de fide, licet ille innumeratas contineat propositiones hæreticas; ille de fide.

Quam opinionem Sanchez, apud Bulemb. lib. 7. de Conf. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 2. præsertim confirmat pro Germania, ubi Bulla Coenæ non est cum tanto rigore interpretata.

Et Bulemb. cit. addit: legens tamen tales (videlicet libros hæreticorum de Philosophiâ, Medicinâ, &c. sive nullam, sive aliquam incidenter hæresim contineant) incurrit in excommunicationem non reservatam. Indicis librorum prohibitorum, ubi is est receptus, quod non videtur esse factum in Germania, saltem cum isto rigore, ut habet Layman lib. 2. tr. 1. cap. 15. num. 8.

457. Dico tamen, comprehendi sub excommunicatione Bullæ Coenæ; etiam si non tractet ex professo de fide, aut Religione, & unam contineat hæresim, dummodo sit liber hæretici personaliter, seu nominatim damnati, aut nati ex secta hæreticorum. Sanchez in Sum. tom. 1. lib. 2. cap. 10. n. 34. Bonac. de Censuris, disp. 2. quest. 5. punct. 4. n. 19. Suarez, & Alterius, cum Diana cit. qui hanc sententiam probabiliorē vocat.

Ratio est, quia Bulla Coenæ relata num. 419. expressè requirit sub disjunctioe, quod liber hæretici contineat hæresim, vel de Religione tractet, per quam particulam disjunctivam dat clarè intelligere, sufficere quod liber contineat hæresim in singulari, licet de Religione non tractet, sed de medicina, &c. unde absolute hanc sententiam tenet Diana part. 6. tract. 6. ref. 55. Leander cit. quest. 39. Vide num. 442.

458. Hinc fit, quod si librum hæretici unam continentem hæresim legas, quoad partem notabilem non continentem hæresim, incidas in hanc censuram. Bord. ipse in Man. Consult. sect. 44. num. 44. Diana part. 6. tract. 6. ref. 55. quia legis opus prohibitur ratione sui totius, & librum hæretici continentem hæresim. Vide num. 531.